


Caspar Mauritius

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS. Theol. D. ... Ad Exequias Quas ... Filiolo ... Caspari, Vir ... Dn. M. Johannes Harberding, Ad aedem S. Spiritus Pastor vigilantissimus hodie ad horam primam paratas cupit. Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770859437>


Druck Freier  Zugang




Mauritius, C.,  
in <sup>10</sup>X. Harberding.

R. 1651.

68.







PROGRAMMA,

149

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
CASPARUS MAURITIUS,

SS. Theol. D. ejusdemq, P. P. & Eccles.

*Ad Exequias*

Quas

*Infantulo suavissimo, Filiolo desideratissimo*

CASPARI,

*Vir Reverendus & Clarissimus*

DN. M. JOHANNES HARBER-

DING, Ad ædem S. Spiritus Pastor  
vigilantissimus

*hodiè ad horam primam paratas cupit,*


Omnes omnium ordinum Cives Academicos  
peramanter invitari

OS(O)



ROSTOCHI

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi,  
ANNO M, DC. LI.



Uæ malorum Ilias in hanc  
incumbat vitam, nemo est, qui i-  
gnoret, aut, si quis est a deo rerū hu-  
manarum suarumq; imperitus, ha-  
bet, unde discat, sacras literas pariter & profanas.  
Dies annorum nostrorum sunt septuaginta aut  
ad summum octoginta anni: è quibus quod opti-  
mum est, molestia est & labor. Jacob interroga-  
tus, quot ætatis annos confecisset, gravissima  
oratione respondit: Dies peregrinationis meæ  
pauci sunt & MALI &c. Ex re & vero Siradices:  
Occupatio magna creata est omnib; hominibus  
& jugum grave super filios Adam, à die exitus de  
ventre matris eorum, usq; ad in diem sepulturæ  
& reversionis ad matrem omnium. Cogitationi-  
bus eorum & timori cordis sollicita expectatio  
nempe dies mortis impositus, æque sedenti in  
throno gloriæ atq; humiliter abjecto in terra  
& cinere, æque ferenti hyacinthinum & co-  
ronam atq; amicienti linum crudum. Indignatio,  
invidia, perturbatio, fluctuatio, metus mortis,  
studium effingendi, atq; contentio &c. Aristote-  
les interrogatus, quid esset homo, respondit, im-  
becillitatis exemplum, temporis spolium, fortu-  
næ lusus, inconstantia imago, invidia & calami-  
tatis trutina, reliquum vero pituita & bilis. Et So-  
lon,

Ion, quid homo esset interrogatus, respondit esse  
putredinem in exortu, belluam in omni vita,  
escam vermium in morte. Vestem illam, quam  
circumferimus, corpus dico, quidam antiquissi-  
mus Philosophorum recte appellabat indumen-  
tum iniustitiæ, fundamentum pravitatis, vinculū  
corruptionis, velamen opacum, vivam mortem,  
sensitivum cadaver, sepulcrum circumportatile,  
domesticum deniq; furem, qui nos vetet in caelo  
esse, & jubeat capite esse in terram demisso. Nec  
vanè quidam Græcus corpus nostrū dici debere  
contendebat non *δέμας* sed *δεσµόν*, non *σώμα* sed *σῆμα*  
non corpus, sed ergastulum & sepulchrum, cujus  
cum anima conjunctionem cito dirimi satius sit,  
quàm diu durare. In qua re naturæ providentiam  
merito æstimamus, quod, cum vitam dedisset,  
molestiis infinitis expositam, voluerit esse quam  
brevissimam. Verissimè Nazianzenus vitam hanc  
nominat vitæ reliquias & halitus, & monet, quod  
ad eandem sedem concitato cursu tendamus, &  
eundem lapidem quamprimum subituri simus,  
& idem pulvis propediem erimus, alios morte an-  
teeamus atq; alios sequamur, alios lugeamus, ab  
aliis deplemur, munusq; lacrimarum, quod  
alijs contulim⁹, ab alijs vicissim recipiamus. Præ-  
teritis igitur iis, quæ nos prætereunt, ad supernam  
vitam omni festinatione properamus, terramq;



etiam adhuc in terra versantes relinquamus ac  
spiritum in cælum ferentem bona fide subsequa-  
mur. Halitum vocat vitam & vaporem Nazianze-  
nus, secutus ductum sacri codicis qui & diei he-  
sternæ, nimbo, somno, flori, gramini fabulæ & id  
genus aliis, quæ fluxa sunt & cito transcurrentia,  
comparat. Etenim ad exiguum tempus apparet  
vapor: dies hesterna cito avolavit: nimbus mo-  
mento uno atq; altero diffluit: somnus ad paucas  
durat horas: flos inter mirantium & laudantium  
oculos puncto temporis perit: gramen succiditur  
& arefcit: fabulæ & sermones dicto celerius ef-  
fluunt, volatq; irrevocabile verbum. Rectè Ho-  
merus Iliados sexto canit:

*Per simile est foliis hominum genus omne caducis,  
Qua nunc nata vides, pulcherrig, virefcere sylvis  
Autumno veniente cadunt, simul illa perurens  
Incubuit Boreas, quadam sub verna renasci  
Tempora, sic vice perpetua succrescere lapsis,  
Semper item nova, sic aliquis obvenitibus, ultero  
Succedunt alij juvenes atate gravatis.*

Si quis autem hæc per exaggerationem dicta esse  
contendat, non in eos tantum, qui in ætate pro-  
vectiori moriuntur, verum in eos potissimum,  
mentis dirigat aciem, qui lac maternum sugentes  
& ab uberibus adhuc pendentes, postquam vix  
lucem hanc conspexerunt, abripiuntur. In quo-  
rum numero est mellitissimus infans, CASPAR

HAR-

HARBERDING, cui hodie iusta facimus. Natus est V. hujus mensis inter primam & secundam matutinam Patre Viro Reverendo & Clarissimo, Dn. M. JOHANNE HARBERDING, Pastore ad ædem S. Spiritus Vigilantissimo, Collega & Compatrie pl: dilecto & honorando: Matre MARGARETA TARNOWEN, foemina pietate & virtute ornatissima. Avum paternum habuit Virum honestum & probum JUSTUM HARBERDING, cerevisiarium & Mercatorem Bargesem apud Lubecenses, dum in vivis erat: Aviam Maternam AGNETAM Gysen/ Matronam laudatissimam. Avus maternus ei fuit Vir admodum Reverendus & Excellentissimus, Dn. JOHANNES TARNOVIUS, p. m. SS. Theol. D. & Professor celeberrimus & incomparabilis: Avia Materna DOROTHEA Kütters/ matrona itidem laudatissima, His majoribus ortum Parentes eodem die sacramento Baptismatis arbori Vitæ Christo inferi curârunt. Vixit duodecim dies cū dimidio quippe XVI. Martij post meridiem ex hac vita vel potius morte in veram vitam translatus est, verè quod hanc vitam attinet, vapor, verè nimbus, verè somnus, verè flos, gramen & fabula. Sed ereptus divina benignitate est, mundi; effugit naufragium prius, quam ejus illecebris in pejus mutari posset. Mundi, inquam, ubi scribente D. BERNHARDO, malitiæ plurimum

ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa,  
omnia lubrica, omnia operta tenebris, & obseſſa  
laqueis: ubi periclitantur animæ, affliguntur cor-  
pora, ubi omnia vanitas & afflictio Spiritus. Idem  
paucis interjectis: In mari Masſiliæ de quatuor  
navibus non perit una: in mari vero hujus mun-  
di de quatuor animabus vix evadit una. Vetuit  
olim Romanorum Rex ſecundus Numa, ne in-  
fans triennio minor lugeatur: reliquis tot dierum  
luctum concessit, quot annos vixerant. Quod si  
ratio frænum injicere luctui Ethnicorum τῶν μὴ  
ἐχόντων ἐλπίδα potuit: quanto magis id apud Christi-  
ana pectora valebit, ut in hoc Infantis obitu mi-  
nuant luctum? De quo rectè usurpari possunt  
Paulini in Panegyrico ad Pneumatium scripti  
versus Consolatorij:

*Gratuler an doleam? dignus utroq; puer.  
Cujus amor lacrimas & amor mihi gaudia suadet,  
Sed gaudere fides, flere jubet Pietas.  
Tam modicum patribus, tam dulci è pignore fructum  
Defleo in exiguo temporis esse datum.  
Rursus ut aterna bona volvo perennia vita,  
Quæ Deus in celo præparat innocuis.  
Lator obisse, brevi functum mortalia secla  
Ut cito divinas perfrueretur opes,  
Ne terrena diu contagia, mixtus iniquis  
Duceret in fragili corporis hospitio:  
Sed nullo istius temeratus crimine mundi  
Dignius aeternum tenderet ad Dominum,  
Ergo Deo potius, quam nobis deditus infans & c.*

Hæc

Hæc cogitabunt mœtissimi parentes, nihil novi  
sibi accidisse, nihil mali. Dicat mœtissima mater,  
cum Merope: Non sola sum mortalium, cui liberi  
perierunt: vel potius hoc ultimum emendet, & non  
periisse sed prævisse dicat. Recolligant animum  
luctu dejectum, seq; attollant & solentur illo Da-  
vidico: Non redibit infans ad me, sed ego migra-  
bo ad illum. Non inculcabo illa Ethnicorum: *ὄν ὁ θεὸς φιλεῖ, ἀποθνήσκει νέε*: Quem Deus diligit, mo-  
ritur infans, quod dixit Menander: nec illud Sile-  
ni à Mida Rege capti, interrogati quæ res optima  
maximèq; expetenda esset Homine inquentis, nō  
nasci vel natū celerrimè mori: nec morē Thracen-  
sium, quos luxisse natos, mortuis gratulatos esse  
memorat Herodotus. Nostis illa Servatoris: Non  
est voluntas Patris vestri cœlestis, ut pereat unus  
de parvulis illis: Talium esse regnum cœlorum,  
Nostis illud regij Prophetæ: Ex ore infantium &  
lactentium perfecisti tibi laudem. Neq; dubitan-  
dum est, quin vester, imo noster quoq; Caspar  
cum centum quadraginta millibus habentibus  
nomen agni & Patris in frontibus scriptum, stola  
candida amictus & agni sanguine de albus con-  
suetudine dulcissima individua Triados, quam  
laudibus effert, omniumq; Electorum jam frua-  
tur. Cæterum cum beata hujus animulæ exu-  
viæ hodie hora prima terræ matri communi sint  
Con-

concredendæ , rogamus itudiose & hortamur  
omnes omnium ordinum Cives Academicos , ut  
in honorem & solatium mæstorum Parentum  
frequentes convenire & funeris deductionem  
præsentia sua cohonestare dignentur, simul mor-  
talitatis suæ memores vivant , & utramq; Rem-  
publicam Deo pijs precibus commendent.


P, P; Sub sigillo Rectoratus nostri XIIIX.

Mart. Anno M: DC, LI.

*Conventus fiet in templo Jacobæo  
ad horam primam.*













HARBERDING, cui hodie iusta faciunt  
est V. hujus mensis inter primam & secundam  
tutinam Patre Viro Reverendo & Clarissimo  
M. JOHANNE HARBERDING, Pastorem S. Spiritus  
Vigilantissimo, Collegae patre pl: dilecto & honorando: Matre  
RETA TARNOWEN, foemina pietate ornatisima.  
Avum paternum habuit honestum & probum  
JUSTUM HARBERDING, cerevisiarium & Mercatorem  
Burgensem apud Lubecenses, dum in vivis erat: A  
ternam AGNETAM Gysen/ Matronam  
tissimam. Avus maternus ei fuit Vir ad  
Reverendus & Excellentissimus, Dn.  
NES TARNOVIUS, p. m. SS. Theol. Doctor  
fessor celeberrimus & incomparabilis:  
terna DOROTHEA Rütbers/ matrona  
laudatissima, His majoribus ortum Patrem  
dem die sacramento Baptismatis a  
Christo inseri curarunt. Vixit duodecim  
dimidio quippe XVI. Martij post mortem  
hac vita vel potius morte in veram vitam  
latus est, verè quod hanc vitam attinet  
verè nimbus, verè somnus, verè flos,  
& fabula. Sed ereptus divina benignitate  
diq; effugit naufragium prius, quam e  
bris in pejus mutari posset. Mundi, inq  
scribente D. BERNHARDO, malitiae p

A 3

